

**Muscipula, sive Kambro-myo-maxia. [Poem] / [E. Holdsworth].**

**Contributors**

Holdsworth, E. 1684-1746.

**Publication/Creation**

Londini : [Henry Hills?], [1709]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kvt4b8c6>


**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>









M U S C I P U L A,

*Rich: Sive Worfoz*

40685

KAMBRO-MYO-MAXIA,

————— Ἀπώρες ἄνδρες  
καινότεραις τέχναις ΞΥΛΙΝΟΝ ΔΟΛΟΝ ἐξεύροντο  
ἦν ΠΑΓΙΔΑ καλέσσι ΜΥΩΝ ὀλέτειραν, ἐβσαν!

ΟΜΗΡΟΥ ΒΑΤΡΑΧΟΜ.



L O N D I N I:

Anno M. DCCIX.





## ROBERTO LLOYD,

Armigero,

*Coll. Mag. Oxon. Socio-Commensali.*

CUM *Muscipula* nostra, in *Murium* solummodò perniciem excogitata, mihi metipsi quoque in Damnum cesserit; utpote quæ in Lucem prodierit alienis Maculis abundè inquinata: Nugas has, qualescunque sint, novis Typis mandare potius visum est, quàm mendacis Præli Errata agnoscere, æquè ac mea.

At vercor, *Juvenis dilectissime*, nè me *Licentiam* plusquam *Poeticam* sumsisse credas, dum tuo Nomine Opusculum hoc ausim exornare, quod Iracundioribus quibusdam vix in Patriæ tuæ Laudem confici videatur. Hoc si ità foret, neque ego dignus essem, qui in Gentem tam illustrem turpissimam facerem Contumeliam; nec Tu, qui eam in Te acciperes. Leviores autem sunt hæ ludicræ Musæ Exercitationes, quàm ut Famæ *Cambro-britannicæ* quicquam possent detrahare, aut ut Authorem

————— *Seria Ducant*  
*In mala.* —————

Fatendum quidem est, me humilior Argumentum è Populo Laudis fecundissimo cepisse, qui sublimiores potius *Epico Carmini* Imagines, quàm ridiculo Poemati Materiam suppeditasset. Præterquàm verò quod inclyta *Cambrorum* Gesta *Jocosæ* minùs conveniebant Musæ; haud Fas erat ea Linguâ Latinâ deterere, quæ non aliâ aptius possint exprimi, quàm quâ ipsi utebantur *Heroes*. Summa tamen excusationis meæ ( siquidem quibusdam Excusatione caruisse videar ) hæc est; quod nihil aliud vellem, quam ut Antiquissimæ Gentis tuæ Dignitatem meritò ostentatam vindicarem.

Jame



Jampridem *Græcia* furtivos, undecunq̃ue potuit, Honores sibi arrogavit? Et parum contenta à *Chaldeis Astronomiam*, à *Phœnicibus Literas*, à *Cretensibus summi pœne Jovem* transtulisse, adinventâ insuper *Muscipula* imperfectam adhuc *Gloriam* voluit consummâsse. Cui nam idcirco *Britoni Bilem* non moveret, *Homerum*, qui haud ultra ter mille Annos abhinc scripsisse censetur, stupendam hanc *Machinam* nupero attribuisse Artifici, quæ longè vetustiori *Cambrorum* astutiæ acceptam refert Originem? Hâc quidem de *Causâ Famæ* Gentis tuæ maturè prospiciendum esse duxi, nè aut *Græci Cambros* tuos æmulâ *Vetustate* exuperâsse viderentur; aut *Homeri* Faber suas à *Taffeio* vestro *Laudes* surriperet.

Quùm verò *Cambri tui* ob tot eximia *Facinora* justè inclaruerint, nil mirere, si anxius hæream quibus *Te* præsertim *Encomiis*, *Mi charissime Condiscipule*, celebrare *Gestiam*. In quo, & *Patriæ*, & *Gentilitiæ* *Virtutes* tam ambiguâ commiscuntur *Elegantiâ*, ut augurari vix liceat, utrum plus *Splendoris*, *Familiæ*, an *Nationi* *Tuæ* sis allaturus. Obfirmatum in tuendis *Cambriæ* tuæ *Juribus* *Amorem*, honestam in vindicandis *Legum* institutis *Pertinaciam*, *Piam* in conservandâ *Ecclesiæ* *Castissimæ* *Dignitate* *Fortitudinem*, majores *Tui* *Tibi* derivârunt. Et quid non optimo *Jure* spondeat sibi *Wallia*; dum accrescentem indiès præcoci *Ingenii* *Gloriam* non sine summâ *Lætitiâ* prævideat; dùm hæc eximia *Virtutum*, *Semina* accurata *MAGDALENÆ* nostræ *Cura* felicissimis excolat *Auspiciis*.

Cùm dehinc ad subactam *Maturitatem* adoleverit *Judicii* *Acumen*, & inter majores *Amicorum* *plausus*, tenuiores hæc meæ *Laudes* evanuerint; parvulum hoc *mutuæ* *Amicitie* *Pignus*, subindè aspicere ne dedigneris. Neque sis prorsus immemor, aut mei, aut

*Actæ non alio Rege Pueritiæ.*

*Sum Omni Obsequio*

*Magd. Coll.*

*Tibi devotissimus,*

*Oxon. 1709.*

*E. Holdsworth.*



M U S C I P U L A.

**M**onticolam *Britonem*, qui primus Vincula *Muri*  
 Finxit, & ingenioso occlusit Carcere Furem,  
 Lethalesque Dolos, & inextricabile Fatum,  
*Musa* refer. Tu, *Phæbe* potens, (nam te quoque quondam  
*Muribus infestum* dixerunt *Smynthea* Vates)  
 O ! faveas; & tot *Cambrorum* è Montibus, unum  
 Accipiens vice *Pindi*, adsis, dum pingere versu  
 Res tenues, humilique juvat colludere Musâ.

*Mus*, inimicum animal, prædari, & vivere rapto  
 Suetum, impunè diu, Spolii quâ innata Libido  
 Jufferat, erravit, sceleratam exercuit Artem  
 Impavidus, saliensque hinc illinc, cuncta maligno  
 Corrupt Dente, & Patinâ malè lusit in omni.  
 Nil erat intactum, sed ubique domesticus Hostis  
 Assiduus cōxiva aderat, non Mœnia Furtis  
 Obstare, aut Vectes poterant servare Placentas,  
 Robustæve fores; quâ non data Porta, peredit  
 Ipse sibi introitum, Dapibusq; indulgit inemptis.

Pestis at hæc totum dum serpsit inulta per Orbem,  
*Cambria* præcipuè flevit, quia *Cæsus* illic  
 Multus olet, quem *Mus* non, æquè ac plurima, libat,  
 Aut



Aut leviter tantùm arrodit, sed Dente frequenti  
Excavat, interiùsque Domos exculpit edules.

Gens tota incensa est super his, Rabiesq; Dolorque  
Discruciant Animos, frendent, juga summa pererrant,  
Stare loco ignorant, nam *Cambriis* prona Furori  
Corda calent, subitâque ignescunt Pectora bile,  
Cum Digitis, credas Animos quoque *Sulphure* tinctos.

Ergò, jubente Irâ, dignas cum Sanguine Pœnas  
Sumere decretum est, sed quâ Ratione Latronem  
Tam cautum illaqueent, quo vindice Furta repellant  
Incertum; neque *Felis* enim tua, *Cambre*, tueri  
Tecta, nec adversis poterat succurrere Rebus.  
Illa quidem varias posuit circum Ora cavernæ  
Insidias, tacitoque Pede ad Cava Limina repens  
Excubias egit; frustrâ: *Mus* nempe pusillo  
Corpore securus, tantò & præstantior hoste  
Quo minor, intentum Prædæ si forte videret  
Custodem ante fores, retro irruit, inque recessus  
Aufugit curvos, atque invia *Felibus* Antra:  
Inde Caput metuens iterùm proferre, nec ausus  
Excursus tentare novos, nisi Castra moveret  
Prædo, atq; omne aberat vigili cum *Fele* Peric'ulum.

Sic *Cambri* (*Cambros* liceat componere *Muri*)  
Eludere Hostes, cùm *Julius*, Orbe subactò,  
Imperio adjecit *Britonas*; sic nempè recessit  
Ad Latebras Gens tota, & inexpugnabile Vallum,  
Montes; sic sua Saxa inter, medioque Ruinæ  
Delituit tuta, & desperans vincere, vinci  
Noluit;



Noluit ; hinc priscos memorant longo Ordine *Patres*,  
Indomitæq; crepant Terras, Linguæq; senectam.

*Felinos* igitur postquam *Mus* sæpius ungues  
Fugerat, & *Britoni* Spes non erat ulla Salutis  
A socio Belli, supremo in Limite Terræ  
Concilium accitur, quâ nunc *Menevia* plorat  
Curatos Mitræ Titulos, & Nomen inane  
Semi-sepultæ Urbis ; properant hinc inde frequentes  
*Patresque*, *Proceresque*, & Odorum *Sulphure* Vulgus.

Tum Senior, cui sæpè suis in Montibus *Hircus*  
Prolixam invidit Barbam, cuique Ora Manusque  
*Prisca* incrustavit *Scabies*, spectabilis Aulâ  
Stat mediâ, fractus Senio, *Postique* reclinis  
*Cambrorum* vexato Humeris ; & Guttore ab imo  
Densas præcipitans Voces, non, “ inquit, aperto  
“ De Bello, sed Furto agitur ; non exterus Hostis,  
“ Sed majus graviusque Malum, nimis intimus Hospes,  
“ Compulit huc Populum ; dominabitur usq; Tyrannus  
“ *Mus* petulans ? Vos, ergo *Patres*, Venerabilis Ordo,  
“ Quêis Patriæ pretiosa Salus, finite Dolores  
“ Consilio tantos, & si Spes ulla superfit,  
“ Propitias adhibete Manus : sic *Cadwaladeri*  
“ Dum clarescat Honos, vestra hîc quoq; Gloria crescet.

Dixit, & ante Oculos Fragmenta, & mucida tollens  
Frustrula, Reliquias Furti, Monumenta Rapinæ;  
Exacuit *Cambrorum* Iras : Nunc æmulus Ardor  
Vindictæ, nunc Laudis Amor, sub Pectore *Patrum*  
B Ardet,



Ardet, inauditam meditatur quisque Ruinam  
*Muri, Muscipulamq;* statim extudit omne Cerebrum.

At Quidam ante alios notus Cognomine *Taffi*,  
 Et magis ingenio Celebris, cui *Wallia* nunquam  
 Æqualem peperit, *Faber* idem, idemque *Senator*,  
 “ Eximius, sic orsus erat ; si Gloria Gentis  
 “ *Casus* intereat, metuo ne tota *Colonus*  
 “ Deficiat cœna, & *Mensæ* Decus omne *secundæ*  
 “ Divitibus pereat ; quoniam ergo *Wallica* Virtus,  
 “ Et *Feles* nequeant superare hæc Monstra, fabrilis  
 “ *Dextera* quid possit, quid *Machina* vafra, *Doliq;*  
 “ *Experiar* ; *Dolus*, an *Virtus*, quis in *Hoste* requirit ?

Talia jactantem circumstant undique fixis  
 Hærentes Oculis, sperataque Gaudia læto  
 Murmure certatim testantur, & unde Salutem  
 Promissam expectent, rogitant, ardentque doceri.

Ille Caput scalpens, ( nam multum scalpere *Cambris*  
 Expedit ) horrendum subrisit, & ora resolvens  
 Talia Verba refert. “ Cum fessus Membra Quieti  
 “ Hesternâ sub Nocte dedi, & Sopor obruit altus  
 “ Lumina, *Mus* audax sectatus, opinor, Odores  
 “ Quos non concoctus pingui exhalavit ab Ore  
 “ *Casus*, accessit furtim, & compage solutis  
 “ Faucibus irrepsit, jamque ipsa in viscera lapsus,  
 “ Crudas Ventris Opes rapere, hesternamq; paravit  
 “ Heu ! malè munito furari è Guttore Cœnam.  
 “ Excussus subito Somnis, sub Dente Latronem,  
 “ Dum



- " Dum resiliere parat, prensi, frustràq; rebellem  
 " Mordaci Vinculo astrinxi. Sic Carcere *Murem*  
 " Posse capi instructus, nova mox Ergastula, mecum  
 " Hæc meditans, statui fabricare, Animoq; Catenas  
 " Effinxi tales, mihi quas suggererat Oris  
 " Captivus. Mirum O ! quali regit omnia Lege  
 " Dextra Arcana *Jovis* ! Quàm cæcis Passibus errat  
 " Causarum Series ! Nobis *Mus* ipse Salutem  
 " Invitus dedit, & quos attulit ante Dolores,  
 " Tollere jam docuit ; neve hunc habuisse Magistrum  
 " Vos pudeat, *Patres* ; *Fas est vel ab Hoste doceri.*

Hæc ubi dicta, Domum repetit, comitantur euntem  
 Plaudentes Populi, atque benigna Laboribus optant  
 Omina. Tum celeri sua quisq; ad Limina Cursu  
 Nuncius it, Laribusque refert, quæ Munera *Taffi*  
 Ingenio speranda forent ; dumque Ordine narrant  
 Omnia, dumque Deis, ut tanta Incepta secudent,  
 Vota ferunt, monitæ præfago Pectore *Feles*,  
 Plus solito lufere, & ( si fas credere Famæ )  
 Sub Manibus Matrum saliere Coagula Lactis,

Intereà *Taffi* Manibusque Animoque vicissim  
 Instat magno Operi, & *Divinâ Palladis Arte*  
*Muscipulam ædificat* ; fit Machina mira, novâque  
 Induitur Vultûs specie *Tragi-comica* Moles.

Quin age, si tibi, *Musa*, vacat, Spectacula pandas  
 Infantis Fabricæ, & percurrrens singula, totam



Compagem expeditas. Quadrati Lamina Ligni  
 Summum imumque tegit ; Filorum Ferreus Ordo  
 Munit utrumque latus, parvisque uti fulta Columnis  
 Stat Domus ; Introitus patet insidiosus, Amicum  
*Muribus* Hospitium ostentans ; sed desuper horret  
 Janua, Perniciem minitans, tenuique Ruina  
 Suspensa est Filo ; ( usque ad eò sua Stamina *Parcae*  
*Muribus* intexunt, & pendent Omnia Filo. )  
 In summo Tecti, mediâq; in Parte Tabellæ,  
 Stat Lignum, erectum, scisso cum Vertice, cui Trabs  
 Parvula transversim inseritur, justèque librata  
 Utrinque extendit Palmas, quarum altera quantum  
 Deprimitur, tantum annexam levat altera Portam.  
 Interiore Domo, per Tecti exile Foramen  
 Demissum pendet Ferrum, quod mobile ludit  
 Huc illuc facili tactu ; curvatur in Hamum  
 Infima Pars, Escamque tenet ; Pars altera premit  
 Perfidiosa Trabem extremam, at cum senserit Hostem  
 Lethales gustasse Cibus, mora nulla, solutam  
 Dimittit Portam, primumque ulciscitur ictum.

His ita dispositis, pendentem protinus Hamum  
 Induit Insidiis *Taffi*, exitiosaque *Muri*  
 Ipsa Alimenta facit, sed quo fragrantior esset  
*Caseus*, & *Murem* invitaret longius, Escam  
 Fatalem torret Flammis, vimque addit Odori.

Et jam Nox memoranda aderat, cum fessa cubili  
 Membra levans *Taffi*, juxta pulvinar amicam  
*Muscipulam* statuit, fidoque Satellite tutus



Indulſit facili Somno. Gens improba, *Mures*  
 Laſcivi intereà exiliunt, Noctiſque ſilentis  
 Præſidio confiſi errant; tum Naribus acer  
*Mus* quidam, Dux eximus, Diis natus iniquis,  
 Caſtra inimica petit, quò grato Flamine toſtus  
*Cæſeus* allexit. Venienti prima reſiſtunt  
 Clathra, aditumq; negant; ſed turpem ferre Repulſam  
 Ille indignatus, Munimina ferrea circum  
 Curſitat, & criſpat Naſum, introitumque ſagaci  
 Explorat Barbâ; jamq; irremeabile Limen  
 Ingreſſus, Votique potens, triſtem arripit Eſcam,  
 Exitiumque vorat lætus, potiturque Ruinâ

*Taffi*, exaudito Strepitu, quem pendula Porta  
 Lapſa dedit, cubito erigitur, Thalamoque triumphans  
 Exilit, impatiens diſcendi, quis novus Hoſpes  
 Venerat. Intereà furit intùs *Ridiculus Mus*,  
 Et Fronte, & Pedibus pugnat, jamq; intervallis  
 Clathrorum Caput impingit, Ferrumque fatigat  
 Dentibus inſanis. Sic olim in Reua *Marsus*  
 Actus Aper, fremit horrendus, ſinuofaque quaſſat  
 Vincula, Ludibrium Catulis, diſfuſa per Armos  
 It Spuma, arreſtæque rigent in Pectore ſetæ.

Poſtera Lux oritur, decurrunt Montibus altis  
 Præcipites *Cambri*, nam cunctas venit ad Aures  
 Res nova; quippe *Aſinus*, ſolitâ Gravitate remiſſâ,  
 Et jam Pigritiæ oblitus, laſcivior *Hædo*  
 Aſcendit Montem, quâ *Cambrum*, diſſonus Ore,  
 Præconem ſimulans, ter rauco Guttore rudens,



Te celebrat, *Taffi*, ter publica narrat Amicis  
 Gaudia. *Bubo* etiam (*Cambrorum* dictus ab illo  
 Tempore *Legatus*) per compita ubique, per *Urbes*,  
 Totâ Nocte eirans, Rostrum ferale Fenestris  
 Stridulus impegit, cecinitq; instantia *Muri*  
 Funera. *Parturiunt Montes*; atq; agmine denso  
*Penbrochiæ* multus ruit incola, *Merviniæque*,  
 Quiq; tenent *Bonium*, & *Mariduni* Moenia Vato  
 Inclyta *Merlino*; veniunt sæcunda *Glamorgan*  
 Quos alit, & *Vagæ* potor, rigidusque *Colonus*  
*Gomerici Montis*. Tum, circumstante Coronâ,  
 Illudit capto *Taffi*, iratumque laceffens,  
 “ *Nequicquam lucteris, ( ait ) damnaberis Aræ*  
 “ *Victima prima meæ, memorig; hæc Limina tinges*  
 “ *Sanguine; Spes nulla est, retrò fugientibus obstant*  
 “ *Non exorandi Postes: Dabis, improbe, Pænas*  
 “ *Pro Meritis, Vitamque simul cum Carcere linques.*

Vix ea fatus erat, cùm Ludicra *Felis* apicro  
 Culmine defiliit Tecti, quò sæpe solebat,  
 Cruribus extensis, molli languescere Luxu.  
 Aspicit instantem Captivus, & erigit Aures,  
 Gibbosoque riget Tergo, nec Limen apertum  
 Jam tentare audet, sed in ipso Carcere solam  
 Spem Libertatis ponens, sua Vincula prensat  
 Unguibus hamatis, Pedibusque tenacibus hæret.  
 Excutitur tamen; & *Felis* rapidissima Prædæ  
 Involat, & frustra luctantem evadere sævo  
 Implicat Amplexu, crudeliaq; Oscula figit.  
 Nulla datur Requies; agili Sinuamine Caudæ

Gaudia



Gaudia testatur Victrix, & flexile Corpus  
 Lascivo versans Saltu, modò Corpore prono  
 Attentè invigilat *Muri*, modò Colla benignis  
 Unguiculis levitèr palpans, mentitur Amorem  
 Dum lacerare parat; variâ sic arte jocosam  
 Barbariem exercet, lepidâque Tyrannide ludit.

At Nugis tandem defessa, nec ampliùs Iram  
 Dissimulans, acuit Dentes, &, more Leonis  
 Impasti, incumbit Prædæ: Jam Pectore ab imo  
 Murmurat, & tremulos Artus, & Sanguine sparsa  
 Viscera dilaniat. Plebs circumfusa cruorem  
 Invisum aspiciens, lætis clamoribus implent  
 Æthera; Clamoresq; Echo, *Cambrae* Incola Terræ,  
 Læta refert; resonant *Plinlimmonis* ardua Moles,  
 Et *Brechin*, & *Snowdon*; Vicina ad Sidera fertur  
 Plausus, & ingenti strepit *Offæ Fossæ* Tumultu.

Tu, *Taffi*, æternùm vives; tua Munera *Cambri*  
 Nunc etiam celebrant, quotièsque revolvitur Annus,  
 Te memorant; Patrium Gens grata tuetur Honorem,  
 Festivoq; ornat redolentia Tempora *Porro*.

*F I N I S.*



**A Catalogue of P O E M S, Printed and Sold by Henry Hills, in Black-fryars, near the Water-side.**

**A** Congratulatory Poem to his Royal Highness Prince George of Denmark, &c. on the Fight near Audenard, By N. Tate, &c.

Windsor-Castle: A Poem, &c. To which is added Britains Jubilee, a new Congratulatory Song, &c.

Malborough still Couquers: or, Union hath got the Day; A Poem. By J. Gaynam,

The Flight of the Pretender, A Poem, &c.

Honesty in Distress, A Tragedy, &c.

The Kit-Cats, A Poem. To which is added The Picture; in Imitation of Annacreon's Bathillus; also The Coquet Beauty. By the Right Honorable the Marquiss of Normanby.

Wine a Poem. To which is added, Old England's new Triumph, or the Battle of Audenard. A Song.

Cyder a Poem. In two Books; with the Splendid Shilling. Paradise lost, and two Songs.

The Pleasures of a Single Life, with the Pleasures of a Country Life. Faction Display'd. A Poem.

The Duel of the Stags. A Poem. By Sir R. Howard. Together with an Epistle to the Author. By Mr. John Dryden.

Coopers-Hill. A Poem. By Sir John Denham,

An Essay on Poetry, By the Earl of Mulgrave.

Absolon, and Achitophel. A Poem.

The Plague of Athens, By Dr. Sprat, Lord Bishop of Rochester.

Tunbrigialia in Latin.

Nundinæ Sturbrigiences ditto.

A Satyr against Woman; with the Satyr against Man. A Poem.

The Forgiving Husband. A Poem.

Instructions to Vanderbank. A Poem.

The Temple of Death. A Poem. By the Marquiss of Normanby. With an Ode in Memory of Her late Majesty.

An Essay on Translated Verse. By the Earl of Roscomon.

The History of Insipids. A Lampoon; By the Lord R——r, with his Farewell. Together with Marvil's Ghost. By Mr. Ayloff.

Milton's Sublimity asserted: In a Poem. Occasion'd by a late Celebrated Piece, Entiuled, Cyder a Poem;

*Multa Super Priam regitans*